



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

5. Quomodo eosdem gratitudinis affectus tunc frequentarit B. V. M.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

dem intensissimos continuare etiam in maximis desolationibus, contumelijs, & tormentis: sicque abunde compensare hominum ingratitudinem, omnesque prouocare ad sui in hac re imitationem: & quidem eò feruentius, quò id gratius aeterno Patri, nobisque utilius esse sciebat. Et his expensis subijce desiderium similes gratitudinis actus internos saepius renouandi, externosque hos vel illos superaddendi, e. c. conando bene orare, & alias ordinarias functiones perfectè obire ex motu gratitudinis.

Quomodo eosdem gratitudinis affectus  
tunc frequentaris Beata  
Mater.

v.

I. Expende quam pure, intense, constanter, insatiabiliter B. Virgo Deipara eosdem predictos gratitudinis affectus, ut ab initio usus rationis ceperat, nunc Mater effecta Creatoris continuarit, cum quotidie coram cerneret, soueret, tractaret, lactaret, & portaret illum, à quo sic le dilectam, sic electam, sic euectam supra omnes submissè recolebat: Et quidem eò eminen-

G 2

tius,

tius, quò præ omnibus clarius in hac vita cognoscebat incomprehensibilem diuinæ benignitatis & liberalitatis erga se supra omnes puras creaturas abyssum, charismatumque sibi ex gratuita bonitate collatorum & conferendorum supereminentiam: & quò intensiorem per tot actus gratitudinis ab ineunte ætate frequentatos acquisierat habitu.

O si illuminatores mentis oculos cum hac illuminatissima aquila in abyssum diuinæ erga te benignitatis & liberalitatis, & tuæ indignitatis & ingratitudinis desigeres, quam te ad perpetuos gratitudinis affectus eliciendos obligatum cerneret? Hos ergo exemplo B.V. elice ut suprà.

**I I.** Quam pure item, intense, constanter, insatiabiliter eadem illuminatissima Virgo & Mater cum filio defuerit tam hominum ingratitudinem tantam in diuinis beneficijs, maximè Redemptionis, agnoscendis cœcitatem: tantam in ijs, saltem grato animo, compensandis socordiam: tantam in declinandis diuinæ contra ingratos vitionis sagittis stupiditatem: idque tanto vehementius, quò hæc omnia perspicacius apprehendebat? Dolor de ingratitudine subiungendus.

III

III. Quam denique affectuose desiderarit, firmiterque statuerit deinceps eisdem gratitudinalis actus conari elicere in dies plures & intensiores, superaddere externos cum insatiabili desiderio longè supra vires se gratum exhibendi ei, à quo se gratis tot extraordinarijs benedictionibus diuinæ dulcedinis & gratiæ præuentam norat. Zelus illam imitandi, seu eliciendi actus gratitudinis in futurum.

Quomodo Christus infans exercuerit  
præcipuos actus internos amo-  
ris Dei.

V. I.

I. Expende, quam diuinè diuinus intans præcipuos actus internos amoris Dei, quos inchoârat conceptus in Matris vtero, nunc in eiusdem gremio & præsepio continuet, i. Diuinam bonitatem infinitè propter se amabilem, & quicquid illa amat, amando: omne bonum eius intrinsecum, uti infinitam perfectionem, beatitudinem; & extrinsecum, uti gloriam, & obsequia à creaturis exhibita, & exhibenda, ei fauendo, de illis gaudendo: extrinseca bona maiora illi optando, & procurare

G 3 desu-